Fragmentarium

sui laboris adiunxit. Nam matheus suscepisse intellegitur
incarnationem domini secundum stirpem regum et pleraque secundum
hominum praesentem uitam facta et dicta eius; Marcus eum subse-
cutus tamquam pedisequus et breuiator eius uidetur.
Cum solo quippe iohanne nihil dixit; Solus ipse perpauca. Cum so-
lo luca pauciora; cum matheo uero plurima et multa paene totidem
atque ipsis uerbis; siue cum solo siue cum ceteris consonante.
Lucas autem circa sacerdotalem domini stirpem atque personam magis
occupatus apparet. Nam et ad ipsum dauid non regum stemma
secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt exit ad nathan filium
dauid qui nec ipse rex fuit. Non sicut matheus qui per salamonem regem
descendens ceteros etiam reges ex ordine persecutus est seruans in eis
de quo postea loquemur misticum numerum. Dominus enim ihesus christus
unus uerus rex et unus uerus sacerdos; Illud ad regendos nos;
illud ad expiandos. has duas personas apud patres singulatim commen-
datas suam figuram egisse declarauit. Et paulo post: secundum
hominem quippe christus inquit et rex et sacerdos effectus est
cui dedit deus sedem dauid patris sui ut regni eius non esset finis et
esset ad interpellandum pro nobis mediator dei et hominum homo
christus ihesus. Non autem habuit tamquam breuiatorem coniunctum
lucas sicut marcum matheus et hoc forte non sine aliquo sacramento
quia regum est non esse sine comitum obsequio; Unde ille qui regiam
personam christi narrandam susceperat habuit sibi tamquam comitem
adiunctum qui sua uestigia quodammodo sequeretur; Sacerdos autem
quoniam in sancta sanctorum solus intrabat. Propterea lucas cuius circa sacer-
dotium christi erat intentio non habuit tamquam socium subsequen-
tem qui suam narrationem quodam modo breuiaret; Tres tamen
isti euangelistae in his rebus maxime diuersati sunt quas christus per hu-
manam carnem temporaliter gessit; Porro autem iohannes ipsam
maxime diuinitatem domini qua patri est aequalis intendit eamque praecipue

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Paris, BNF, Baluze 270, f. 124-131 + Paris, BNF, lat. 5288, f. 34-41, ParisBNFlat05288_082_f036v – Bede's commentary on Luke (https://fragmentarium.ms/view/page/F-s74n/437/6489)